Neapolitana ſuper expulſione, & prætenſa ampliatione.

1 Reu. Pater. IN vtroque dubio concedenda videtur noua Audientia, & ſtrictè quoad primum *ſuper expulſione* voti compotes fieri confidimus, nedùm quia ſuper hoc graui articulo vnica emanauit deciſio, & quidem de directo oppoſita antiquioribus deciſionibus huius Sacri Auditorij emanatis fauore PP. Theatinorum *in celebri Ianuen. Priuilegiorum* coram Royas, & Corrado, vndè res tantæ molis ſcrutinio indiget magis maturo; Sed & principalitèr, quia fundamenta illius nullo modo videntur ſubſiſtere.

2 In compendio firmat deciſio, quod cum Patres Sanctorum Apoſtolorum ſeſe non oppoſuerint ab initio introductioni Confratrum in paruam Cappellam *Sanctæ Mariæ ad Verticellum*, immò paſſi fuerint, vt ijdem ipſorum Inſtitutum ſpatio 70. annorum exercerent illis ſuffragari nequeat priuilegium diſtantiæ 140. cannarum Sixti Quarti, quia cum tale Indultum ſit reſtrictum ad prohibitionem nouæ admiſſionis, & receptionis piorum cetuum, extendi non debeat ad ius expellendi eos, qui ſine Priuilegiatorum oppoſitione fuerunt introducti, & admiſſi, ac per longum tempus tolerati, præſeferente huiuſmodi non contradictione, & tolerantia conſenſum introductioni, & permanentiæ, ac veram, formalemque dicti priuilegij renunciationem.

3 Baſis tamen huius diſcurſus, quæ tota ſe habet in dicto Patrum conſenſu ſolidam non obtinet firmitatem; Tùm quia ex dicta tolerantia in ſtricta Iuris cenſura ortus non fuit prætenſus conſenſus; Tùm quia ſi inſurrexiſſet, nihilominùs cum idem eſſet illegitimus, ac inualidus nullum conſentientibus ingerere valuit præiudicium; Tùm demùm quia vbicunque aliquod produxiſſet præiudicium, hoc ſanè ad id tantùm eſſet reſtrictum, vt noſtri Patres expellere nequeant Confratres à dicta antiqua parua Cappella S. Mariæ, ſecùs verò quod eiſdem prohibere nequeant meditatam illius ampliationem.

4 Probatur prima pars aſſumpti ex receptiſſima propoſitione, quod vbi agitur de præiudicio notabili, ac de renunciatione iuris, ſeù priuilegij certi, & incontrouertibilis ſimplex taciturnitas, & patientia non ſufficit, ſed requiritur expreſſus conſenſus quantumuis tacens contradicendo præiudicium euitare potuiſſet *l. ſemper qui non prohibet ff. de regul. iur. gloſſ. in cap. qui tacet de regul. iur. in 6. Panormitan. in cap. veſtra de locat. & in cap. ex parte Decani de reſcript.* alijſque deductis pleniſſimè tradit videndus *Paul. Gallerat. de renunciat. lib. 5. cap. 11. à num.* 18. amplians *ſub num.* 44., etiamſi patien-

tientia foret diuturna, subdens *num.* 28. omnia contraria procedere, vbi taciturnitas non esset simplex, sed positiuis actibus associata, & hoc idem ex professo tradunt *Peregrin. consf.78. num.1. & 17. lib.1. Facchin. controu. iur. cap.65. vers.quinta conclusio Castill. de vsufruct. cap. 2. num. 100. cum sequen. Fontanell. de pact. clauf.5. gloss.8. par.11. num.36, Rot. decis 84. num.15. & dec. 534. num.20. & decis.603. num. 15. coram Merlino*; Et in specie seruituris actiuæ fraternizantis cum nostro priuilegio, quod ea non amittatur ex simplici patientia, sed necessarius sit expressus consensus, est *Text. in l. inuitum autem 4. de seruitut. vrban. prædior.* ibi=*Inuitum autem in seruitutibus accipere debemus non eum qui contradicit, sed & qui non consentit*, & *ibi gloss. in verbo contradicit*, quem Textum benè ad hoc notant *Ruin. consf.55.n. final. to. 4. Parif. consf.63. num.9. tom.1. Burfatt. consf.111.num.4. Surd. consf.387. num.5.*, & indiuidualitèr, quod ex sola patientia, & tolerantia non censeatur inducta renunciatio huiusmodi priuilegijs respondit *Rot. dec.337.n.22. par.10. rec.*

5 Æquali iuris, ac rationis neruo demonstratur secunda pars assumpti, quia cum dicta priuilegia sint vniuerso Ordini concessa renunciari nequeunt à Superioribus particularium Conuentuum sine consensu, & approbatione totius Religionis *Felin. in cap. cum accessissent num.8. de Constitut. Natt. consf. 160. num. 46. libr. 1. Rot. decis. 63. num.10. par.5. & decis.44. num.11. par.7. & decis. 47. num. 41. & decis.229. num.2. & 3. par.8. & coram Cerro decis.10.num.2. & 3.*, & cum alijs *in Turritana Decimarum 21. Nouembris 1703. §. Denique coram R. P. D. Ansaldo, & 6. Martij 1705. §. Sed quatenùs coram Reuerendissimo Decano*. Tametsi vsus eorum cederet commodo singulorum Conuentuum, vt pluribus relatis tenent *Antonell. de tempor. legal. lib.1. cap.80. num.6. Pellizar. in manual. Regular. tom.2. tract.8. tit.de ammiss. priuil. cap.1. sub num.167.*; immò non desunt graues Doctores tenentes, nec ipsum Capitulum Generale priuilegijs Religionum renunciare posse sine assensu Apostolico ea moti ratione, quia cum illa sint patrimonium, & peculium quasi Castrense Ordinis, maximè quando, prout in casu, agitur de priuilegijs in sequelam trahentibus modum substentationis Religiosorum, illorum abdicatio, & renunciatio sapit quodammodo rerum, ac iurium Ecclesiasticorum alienationem, *Layman. in quæst. Canonic. de Prælat.Eccles. elect. quæst. 225. Emanuel Rodriguez qq. Regular. tom.1. quæst.18. art.1. Tamburin. de Iur. Abbat. disput.24. quæsit.14. num.4. & 5. Lezzan. in summ. tom.2. verb.priuilegia Regularium sub num.14. Lezzan. consf.moral.7. num.29. & sequen.*. & indiuidualitèr de priuilegio distantiæ 140. cannarum *Pasqualig. quæst.moral.iurid. q.14. per tot.*

6 Irrefragabilitèr, ac lucidissimè demùm demonstratur tertia pars assumpti, quod scilicèt in omnem pessimum euentum dictus assertus

con-

consensus introductionis Confratrum in dictam Cappellam eum solùm limitatum producere valet effectum, quod ipsi ab eadem expelli nequeunt, secùs verò, quod illam ampliare valeant eo modo, quo meditantur; nàm certum, & indubitatissimum est, patientiam, & tolerantiam Patrum versatam fuisse in permissione ingressus Confratrum, eorundemque permanentiæ cum exercitio proprij instituti in parua Cappella, vnum tantùm Altare habente, vixque 30. personarum capace; Consensus propterea ex dicta patientia exortus nullo modo extendi potest ad aliam nouam Ecclesiam maiorem, & speciosiorem nouem exornandam Altaribus in alio nobiliori situ excidaneam; Repugnat enim huiusmodi obtentus omnibus nostri iuris regulis, iuxtà quas habemus, quod consensus inductus ex facto coarcentur ad limites ipsius facti, nec vltrà extenditur *Crauett. consf.737. num.16. Riminald. iun. consf.662. num.45. Cyriac. controu.204. num.21.*, & plenè *Mans.consult.386. num.19. cum sequen.*, quodque consensus, ac renunciationes semper intelligi debeant ad terminos status, in quo res erat de illo tempore, itaùt extendi non debeat ad alia diuersa desuper emergentia *l.quod Semius ff.de condit. ob caus. cap.!cum inter de renunc.*, *Surd. consf.68. num. 18. & seq. Tiraquell. in l.si vnquam in præfat. num.266. Ciarlin. controu.168. num.20. cum seq. Valenzuel.consf.17. num.46. Cappon. contr.20. num.29. & 30. Rot. dec.11. nu.11.par.9. rec. & dec.189. n.14. par.13.*, & cum alijs *in dec.90. n.11. coram R.P.D. meo Ansaldo*.

7 Et in specie seruitutum, quæ, vt supra dixi, fraternizant cum nostro casu certam habemus regulam, quod illius Dominus patiens, ac consentiens, quod obnoxius seruituti passiuæ vnum actum faciat, putà immissionis vnius tigni in parietem, vel aperitionem vnius fenestræ, non ideò illi licebit aliud tignum in parietem, immittere, seù aliam nouam fenestram aperire ad *Text. leg.si cum meus proprius paries esset 14.ff. de seruit.* ibi = *si cum meus proprius paries esset, passus sim immittere tigna, quæ antea habueras, si noua velis immittere, prohibere ea potes, immò etiam agere tecum potero, vt ea, quæ noua immiseris, tollas, si paries communis opere abs te facto in ædes meas si inclinauerit, potero tecum agere, ius tibi non esse, parietem illum ita se habere*, & ibi *Bald. & Angel.* dicunt, quod patientia in vno non debet in consequentiam trahi in alio, benè *Cepoll. de seruit. cap.30. columnn.2. vers. quæro*, vbi quod si passus sum, quod faceres fenestram, non tamen poteris alium facere, & in eisdem terminis benè tradunt *Grammat. consf. ciuil.164. num.10.*, ac meliùs, & latissimè in eisdem terminis *Surd. consf.387. per tot. & signantèr num.6. Sperell. decis.56. num.9. Rot. decis.375. nu.26. cor. Card. Celso*.

8 Quæ sanè omnia si procedunt, etiam si nouus actus sub præcedenti

 con-

consensu non comprehensus nullum consentienti afferret præiudicium, vel damnum, proùt latè probat *Surd. dicto cons. 387. n. 11. 12. & 13.* absque vlla difficultatis vmbra locum sibi vindicare debent in casu, in quo nouus actus, seù ædificium affert præiudicium, ac damnum, quod non afferrebat permissus; In hisce enim terminis nemo est, qui dubitet, quin huiusmodi actus fieri nequeat, pro cuius rei comprobatione affero optimum *Textum in leg. quid autem 6. de seruitut.*, in quo statuitur, quod habens seruitutem actiuam altius tollendi contra Vicinum patiens, quod iste plantet arborem suaptè natura opacam in facie illius domus, non dicitur exindè præstitisse consensum, vt ædificetur murus, cum arbor non afferat proptèr eius motus naturales damnum, & præiudicium lumini, quod affert murus, itaùt ibi concludat Iuris Consultus, quod licèt arbor altiùs extollatur, non præscribitur libertas contra seruitutem altiùs non tollendi., ibi = *quia non ità in suo statu, & loco moneret arbor, quemadmodum paries proptèr motus naturales arboris*, & benè *gloss.* ibi verbo naturales, *quia arbor est eius natura, vt facilè possit moueri ex vi ventorum, sed paries non*, & benè etiam explicat ibi *Bartol.* alijque repetentes.

9 Applicando actiua passiuis, cum permisso introductionis Confratrum in Cappellam S. Mariæ, illorumquè pium exercitium in eadem, nullum, seù valdè modicum attulissent damnum, ac præiudicium Patribus SS. Apostolorum, & è conuerso nouum ædificium irreparabilia, & quidem maxima producit damna, ac præiudicia, vt sæpèdictum fuit, ex dicti primi actus permissione elici nequit consensus ad hunc nouum actum, etiamsi cæteroquin esset quodammodò primo similis, vel consequtiuus, ad tradita per *Castrens. in leg. eos ff. de seruit. vrban. præd. Cepoll. in tit. de vrban. præd. cap. 62. tit. de fenestra col. 2. vers. nunc. videamus*.

10 Quæ cum ità sint tollerata receptio huius Confraternitatis in dicta antiqua, & per exigua Cappella non potuit fundare fauore Confratrum ius dilatandi fimbrias vltrà cancellos status antiqui,, nec minùs adimere valuit P.P. Theatinis actio ad eorum fauore oriens ex Apostolicis Constitutionibus, eodem modo, proùt euenit in illa Causa *Ianuen. Priuilegiorum*, nàm etiam in eo casu P. D. Oratorij iàm reperiebantur introducti in Ecclesiam *S. Pancratij*, & PP. Theatini *S. Siri* eos tollerauerant, donec non tentarunt nouitates, statìm autem ac fabricam promouerunt sub prætextu ampliationis, illicò actionem pro illorum expulsione proposuerunt, & Causa per plures decisiones, & instantias felicem sortita fuit finem, nec Rota in pretio habuit, quod dd. PP. Oratorij reperirentur introducti; Minùsque distinctionem fecit inter actionem prohibitiuam, & expulsiuam, quia spectato effectu, & fine priuilegiorum habuit pro vna, & eadem re, vt patet ex *dec. 327. sub n. 1. cor. Roxas*.

In

11 In seqnelam boni iuris super Primo debita est etiam noua audientia super secundo, quia vnum, & alterum sunt vnum continens indiuisibile, nec ex eo, quod PP. SS. Apostolorum minimè cæperint viam adæquatæ defensionis à principio, sed per alias vagauerint, remanet alterata Iustitia Causæ, aùt præiudicatum Ius Religionis, quod nequè effectum dici potest deterius ex ijs, quæ narrantur in contraria decisione, quasi verti velint odio PP. d. particularis Conuentus, & nihilominùs, licèt illa non attineant ad punctum Iustitiæ, ex abundanti illis singulis satisfacientes, dicimus, dd. Patres iustum habuisse motiuum experiendi ius prælationis super Palatio empto per Confraternitatem Aduersariam à Marchione Brientiæ, cui ipsi illud vendiderunt sub tali reseruatione, vt ex verbis eiusdem Instrumenti ibi = *Et expressè insuper fuit Conuentum, quod in casu cuiuslibet alienationis domus prædictæ quandocumque fieret, semper dicta Ecclesia præferatur quibuscumque personis, & locis in alienatione prædicta pro eodem pretio ex conuentione sic habita, & si secùs fieret, & procederetur ad aliquam alienationum, eo casu talis alienatio sit nulla, & inualida, ac si facta non esset, & ad maiorem cautbelam dicta Marchionissa pro obseruantia supradictæ conuentionis, & promissionis in specie obligauit, & hipothecauit domum prædictam supradictæ Ecclesiæ*; Adeoùt à Iudice primæ Instantiæ, nimirùm *D. Auditore Gentilono* fauorabilem desuper sententiam reportauerint.

12 Nequè reputarunt delictum, implorato primo loco brachio Nunciaturæ Apostolicæ, quæ ob pendentiam litis in hoc Sac. Tribunali noluit apponere manus, prouisionalitèr ad impediendam improuisam demolitionem partis exiguæ d. Palatij recurrere ad laicos, donec valuissent venire ad Sacram Rotam, quia talis recursus sub ista expressa protestatione non fuit illicitus.

13 Rursùs proprium ius non ammiserunt in meritis, si ipsi ad purgandum ass. recursum eis impictum in linea attentatorum, declararunt non præstitisse, neque præstare impedimentum demolitioni d. Palatij, fuit enim declaratio ordinata ad sese expurgandos à crimine, qnod non somniarunt, non autem ad augendum ius Partis in linea Iustitiæ, quæ si iure non poterat destruere, vt nouam Ecclesiam eleuaret, sibi imputet, aùt in omnem priorem casum erit actio separatim, & proùt de iure exaduersò intentanda pro ass. damnis.

14 Quod Principissa Tarsiæ, vtpotè Patrona Ecclesiæ SS. Apostolorum voluerit experiri ius prælationis reseruatum Ecclesię ipsi, vt ex verbis Instrumenti supra relatis, quodque Marchio Brientiæ recursum habuerit ad Sac. Conf. Neap. pro inualidanda venditione Palatij tamquam obnoxij fideicommisso suorum Maiorum, frustrà exaduersò baptizzantur pro recursibus factis ab eisdem PP. ad Iudices laicos, quia fuerunt legales prætensiones à dd. Personis in

Iu-

Iudicio propositæ; & demum, quod ijdem PP. apud Datariam curauerint habere vnionem subiectiuam Cappellæ S. Mariæ ad Verticellum,& non potuerint obtinere, euenit, ex quo Eminus Prodatarius noluit preiudicare liti pendenti, nec proindè id auget, aut diminuit iura Partium in ea.

15 Reliqua autem omnia, quæ subduntur in comprobationem Iustitiæ ass. rei iudicatæ concidunt ex deductis super primo Dubio; nihil enim valutandæ sunt renunciationes per eosdem PP. emissæ, tum quia sunt famulatoriæ liti tunc pendenti super simplici ampliatione, & sic non possunt egredi terminos illius, itaùt extendi valeant ad aliam nouam,& distinctam litem pro parte Religionis introductam, quæ absorbet, & suffocat primam; Tùm etiam quia, quatenùs inuoluere possent abdicationem Iuris priuilegiarij, quod non erat, nec dici poterat illius Conuentus particularis, sed totius Ordinis *ex firmatis supra* §.5., & vltrà ibi adductos *Rot. decis.* 327. *num.9. coram Roxas*, vbi id firmat verum, etiamsi priuilegium concessum fuisset particulari Conuentui, tali casu Iure non tenuisset, nec teneat, vt in indiuiduo, tractato articulo ex professo, & cæteris allegatis concordantibus optimis medijs probat *Passerin. in cap. fin. num.11. & 12. de pactis in 6.*, & rursùs *in tractat. de statu homin. tom.2. quæst.187. artic.4. num.690.seumseqq. fol. mihi* 579. quibus in locis confutat contraria.

16 Iridèm extraneum est à casu axioma, quod vnicuique licita sit ædificatio in proprio solo, cessante æmulatione; Præter quod enim in præsenti æmulatio est clara, quia si Confraternitas intendit ampliare, vt maior sit numerus Missarum dictim celebrandarum, vltrà propriam eius Ecclesiam *S. Mariæ de Planctu*, quam habet propè, & extrà mænia Ciuitatis, quarè noluit recipere alteram, intùs Ciuitatem ipsam valdè capacem, & decoram *S. Nicolai alli Caserti* per nostros PP. illi procuratam sine aliquo eorum dispendio, vt *in præterito nostro Summario num.6.*, quod facere poterat, nedùm sine aliquo eius nocumento, & cum beneficio huius Partis id, quod per consequens obligata erat, & est de iure facere *Rota dicta decis.* 327. *num.12. coram Roxas*, sed etiam cum maiori vtilitate eius pij Instituti, quia pecuniæ conuertendæ in saxa, meliori consilio erogarentur in eleemosynas Missarum, & suffragia erunt maiora pro Sanctis Animabus purgantibus.

17 Non verificatur ædificatio in proprio solo Confraternitatis, nam Cappella est propria Rectoris illius, & non Confratrum, qui licet in concessione vsus eiusdem reportauerint facultatem fabricandi non immutato titulo Ecclesiæ, & quamuis etiam respectu præiudicij, seù interesse eiusdem Rectoris posset per impossibile præsumi huic concessioni accessisse beneplacitum Apostolicum, proùt certissimè non accessit ex vniuocis demonstrationibus illud excludentibus deductis in Informatione Facti data in die decisionis

nis *à* §.17. *ad* 22., adhuc etiamsi Rector milliès talem contulisset facultatem, numquam præsumendum foret, quod Papa illam approbasset in ordine ad præiudicium Ecclesiæ SS. Apostolorum, quia numquam approbatio concessionis intelligeretur cum derogatione iuris Tertij, maximè quia in hoc signato casu fabricę numquam fuit obseruata, & prima vice, qua voluerunt eam ponere in vsu, nata fuit præsens acerrima lis, & contradictio pro parte Patrum, qui ægrè tulerunt, ægrè substinent, & ægrè semper ferent, quod vulnerentur eius priuilegia, quorum medio vitę subsidia consequuntur, vt dixit *Rota decis. 356. num. 10. & seq. coram Roxas.*

18 Atque hinc patet quam magna sit differentia inter casum, quo Rector proprijs sumptibus illam ampliaret, vel aliquis Benefactor talem faceret ampliationem, & casum nostrum, in quo iste Cætus exercens huiusmodi speciosum Institutum, tentat paruam Cappellam erigere in magnum Templum, vt in eodem suas exerceat functiones, quoniam in his terminis immutatio materialis secum fert immutationem formalis; nam aliud est adesse istum Cætum cum angustissima Cappella, quæ non poterat pręiudicare vicinę Ecclesię, aliud verò eumdem Cætum adesse cum vasta, & magnifica Ecclesia, quę afferret sensibilissima præiudicia, vndè isto pręciso casu verificabitur finis Sixtinę, & actio prohibitiua, quę in statu, & terminis antiquis stabat consopita ex cessantia rationis pręiudicij, meritò debet resurgere à somno, & obicem facere Confratribus, ne in nouam hanc Ecclesiam sese intro ducant, & si in illam se se introducere non possunt, neque de consequenti valebunt ad fabricam eiusdem procedere, vt de se est clarum.

19 Patet quoque esse inapplicabiles regulas simplicis ampliationis, cum quibus procedit contraria decisio, quia relatiuè ad PP. numquam isti Confratres habendi sunt pro legitimè introductis ad omnes effectus etiam ampliandi, variandi, & immutandi sistema antiquum, ex deductis super primo dubio; nam de statu non pręiudiciali, ad quem ad summum potest trahi consensus eorumdem PP. desumptus ex eorum tollerantia, transferretur ad statum positiuè, & valdè pręiudicialem, ideòque *ad rem effectualitèr nouam*, & in qua residet tota vis actionis prohibitiuę, vndè subintrat conclusio, quod non idem de omni ampliatione est iudicandum, sed respiciendum ad pręiudicia, quæ producit, si enim noua suboriantur non est permittenda ampliatio, resurgente ratione motiua priuilegiorum, vt tradunt *Lezzan. oper. moral. tom. 2. verb. Monasteria sub n. 33. de Franch. contr. inter Episc. & Regul. n. 410. & 413.*, quæ noua præiudiciorum natiuitas, nullo profectò in casu meliùs, quam in isto, verificatur, quia res à *non ente* transit ad *ens*, & ideò locum facit exercitio actionis, quæ à principio non competijsset, ex quo non aderat præiudicium, nec timeri poterant æmulationes, super quibus motiuis sunt fundata priuilegia.

Nec

20 Nec est, quod tantùm exaduersò exageretur, quod extractio huius noui Templi sit res tendens ad augmentum Cultus Diuini, & plausibilis, quoniam licèt bonum sit plura adesse Templa Deo Sacra, & multiplicari Operarios in Vinea Domini laborantes, attamen circumspecta Summorum Pontificum prouidentia, vt omnes in vinculo Charitatis Domino famularentur, & alij alijs non subtraherent necessaria vitæ subsidia, æmulationesque tollerentur, certum ordinem, & distantiam præscribere necessarium putarunt, simulesque sanctiones reputandæ sunt fauorabiles, & non odiosæ, attento fine, quo emanarunt, vt latissimè probat *Pignattell. consult. 177. num. 32. & sub num. 44. tom. 1.*, ideòque si generica reflexio augumenti Cultus Diuini, non seruata dicta distantia, locum habere posset, probaret nimis, & sic nihil, quia destrueret funditus Apostolica Priuilegia;

Quarè &c.

Petrus Constantius Aduoc.
Philippus Boschettus.

---

*R. P. D.*

# *C R I S P O*

*Neapolitana super expulsione, & prætensa Ampliatione.*

*P R O*

Ven. Religione Clericorum Regularium Theatinorum:

*C O N T R A*

V. Societatem vulgò nuncupatam delle Sportelle Neapolis.

*Restrictus Facti, & Iuris pro noua Audientia.*

Typis De Comitibus 1716